

in futuro seculo, ubi tum demum intelligemus & sentiemus, eodem, an novo corpore nos donaverit Omnipotens. Ita & hi dogma de ejusdem numero corporis resurrectione labefactare sategerunt.

§. 14.

Nos vero hac vice in eo elaborabimus brevissimis ut ostendamus I. resurrectionem mortuorum, imo hujus carnis, non esse impossibilem. II. Eam etiam esse non improbabilem. III. Denique eam certo esse futuram.

§. 15.

Qvod igitur ad primum attinet, observamus, ad hoc ut aliquid dicatur fieri possibile, duo præcipue reqviri ( $\alpha$ ) possibilitem intrinsecam, qvæ consistat in non repugnantia ad existendum I. fiendum. Qvod enim repugnat fieri, est impossibile. ( $\beta$ ) possibilitem extrinsecam, qvæ sit virtus & potentia causæ efficientis, qva possit causa hoc, qvod fieri non repugnat, efficere. Hæc si desit, res, qvamvis in se possibilis, tamen ratione causæ manebit impossibilis. Utraqve possibilitas habetur in resurrectione mortuorum. Ergo resurrectio mortuorum non est impossibilis, sed possibilis.

§. 16.

In resurrectione mortuorū uideri possibilitem intrinsecam, sive priorem, probatur h. m. Per mortem solvitur unio inter animam & hoc corpus. Unio, cum tanquam modus essentialiter à suo subiecto dependeat, perit & in potentiam materiæ remeat, vel si fingere velis, in nihilum abit. Anima rationalis, uti nunc supponimus, soluta à corpore, non interit, sed in statu separationis eadem numero permanet. Corpus hoc inanimatum destruitur quidem & in cineres favillasqve, vel alia principia materialia, unde compositum erat, resolutur, neutiquam tamen in nihilum redigitur, remanente, qvamvis sub aliis atqve aliis formis, saltim materia prima. Remanet igitur eadem numero anima, & eadem numero corporis materia. Bene Tertullian. de resurr. Car. circa finem p. 83. In deposito est ubicunq; apud Deum. Carnis interitum quem putas, secessum scias esse. Non sola anima seponitur, habet & caro secessus suos. Interim in aquis, in ignibus, in altibus, in bestiis, cum in hac dissolvi videtur, velut in vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint, cum de illis quoque effluxerit, in suam matricem terram, quasi per ambages resorbetur, ut rursus ex illa presentetur. Minutius E-